S. PACHOMII COENOBIORVM QVONDAM PER AEGYPTVM FVNDATORIS
REGVLA.

E Syriaco Graecoq. in Latinum a B. Hieronymo conuersa.

Item B. Anselmi de vita aeterna sermo.

Vtrumq. numquam antea, nunc autem ab Achille Statio Lusitano primum editum.

INLVSTRISSIMO AC REVEREN[illegible]S.
D. PAVLO ARETIO S. R. E. CA[illegible]
TINO DD.







ROMAE, Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales. Anno Iubilæi. M. D. LXXV.
Cum licentia Superiorum.

Gen[illegible] in catalogo illustrium virorum.

Pachomius monachus vir tam in docendo quam in signa faciendo apostolicae gratie et fundator Aegypti coenobiorum, scripsit regulam utriq. generi monachoru aptam, quam angelo dictante perceperat &

Theodorus presbyter successor et gratiae et praepositurae supradicti abbatis Pachomij [illegible]

Oresiesis monachus, amborum idest, Pachomij et Theodori coll[illegible]

Sed Sozomen. lib. 3. cap. 13. Arsisius, si codex no fallit, & Pallad. cap. 7. Niceph. lib. xi. cap 37. nisi sit alius.

[illegible] in praefatione lib. de institutis coenobioru ad Castore pontif.
Super [illegible] [illegible] et scientia nobiles multa iam opuscula desudarunt, vi[illegible]
Basil[illegible] [illegible]; quorum ante ior (sc. Basilius est) Alius vero non sol[illegible]
[illegible] [illegible] etiam Graece lingue [illegible]tos, in
[illegible] [illegible]

[illegible]edius ait librum C. sententiarum [illegible] Euagrij ad Anachoretas a [illegible]
[illegible], et item alium .50. / et in Ruffin.

[illegible] militib. occurrebam, pro fictis me litib. / Sedentem me praefe[illegible]
[illegible] me praefero. / Quid de ore tuo loquatur, p, quid de choro t[illegible]

PAVLO ARETIO
EPISCOPO PLACENTINO AC S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO DOMINO SVO IN CHRISTO SVMME OBSERVANDO

Achilles Statius Sal.



ONGO, *fateor, interuallo, idq. magna mea, quid enim me purgē, culpa officium erga te meum interruptum reddo. Namq. semel ad te salutandi, cōueniendiq. tui caussa venientem me sic humaniter accepisti, tam multa non modo non petenti mihi, sed ne speranti quidem liberaliter obtulisti, vt & ventitandi ad te copiam feceris, & omnia mea officia quanti a te fierent in posterum, plane tunc intellegerem. Sed vt prudentis hominis est in morbum ne incidas prouidere, sic illud proximum, curare, & quaerere insidentem pestem qua ratione depellas. Ergo ego, tametsi apud te culpā sat erat agnouisse, volui tamen quasi propitiatorium munus accedere. Id vero est Pachomij sanctissimi viri regula caelitus ad illum per Angelum delata, vel ad regulam potius ab eo ac discipulis eius Theodoro & Orsisio sanctissimis viris addita praecepta. Quod ipsum facile intellegi potest e regula illa angelica, quam in Pachomij vita expositam, in huius calcem opuscu li reiecimus, quo videlicet titulum exemplaris quo*

quomodo tueremur, quem regulae illius insignis fama, nomen secuta Pachomij diuinorum hominũ praeceptis salutarib. praefixerat. Cuius libelli fides, atq. auctoritas, si nihil aliud, beati Hieronymi interpretis fide, atq. auctoritate nituntur. Quia vero ei, qui Angelicam in terris vitam e praescripto Dei, atq. Angeli duxerit, proposita est in caelo Angelorum inexplicabilis illa felicitas, in extremis enim regulis ea fere solet vsurpari clausula, Facienti haec vita erit aeterna, ad regulã addidi beati Anselmi de vita beata sermonem dulcissimũ, non illum quidem ab eo scriptum dictatumue, sed habitum, & fidelissimi hominis arrectis attentisq. exceptum auribus. Quod munus profecto nulli, quam tibi rectius omnino mitti debuit, qui summae religionis propositum tamdiu tenueris, & vero etiam nunc in summa dignitate teneas. Sed reprimam me, ac ne voluptatem in legendo tuam laudator corrumpam importunus, istumq. ad haec cognoscenda acriter intentum animum alienẽ, parcam tuis laudibus. quas amplissime sic explicasse me puto, cum ceterar. regularum regulam, & admirabilia illa praecepta alia, tum praeterea supernis illis opib. ac delicijs adfluentem beatumq. sermonem nullius in domum, quam tuam potius aptiusq. videor intulisse. Vale. Dat. Romae. XII. Kal. Maias. M. D. L X X V.



INCI-

INCIPIT

REGVLA S. PACHOMII, QVAM ANGELO REVELANTE CONSCRIPSIT,

& Hieronymus Presbyter de graeco in latinum vertit sermonem.

Incipit Prologus Sancti Hieronymi.



QVAMVIS acutus gladius & leuigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit robigine, & splendorem pristini decoris amittit. Vnde & ego maerens super dormitione sanctae & venerabilis Paulae, non quo contra praeceptum apostoli facerem, sed quo multorum incisa illius morte refrigeria suspirarem, accepi libros ab homine Dei Siluano presbytero mihi directos, quos ipse ab Alexandria missos susceperat, vt mihi iniungeret transferēdos. Aiebat enim quod Thebaicis coenobijs, & in monasterio † moeta nocteq; detanobo in paenitentiā felicis nominis conuersione mutatum est, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorarēt Aegyptiacū Graecumq. sermonē, quo Pachomij & Theodori & Orsiesij praecepta conscripta sunt. Qui primi per Thebaidem & Aegyptum coenobiorū fundamenta iecerunt iuxta praeceptū Dei, & Angeli, qui a Deo sub hanc institutionem missus venerit. Itaq. quia † diu tacueram, & dolorem meum silentio de-

Hoc Angeli factū testatur antiquissimi grauissimiq. viri, Palladius in Lausiacis, vbi de Pachomio, & Dionysius exiguus interpres libri de vita Pachomij. & Gennadius in catalogo virorum illustrium.

† Forte, Metanoeas qd de Tanobo in paenitētiā felicis &c.

† Forte, qui,

 uoraram,

Paulae. quae ... soraram, vrgebant autem missi ad me ob hanc caussam ipsam Leontius presbyter, & ceteri cũ eo fratres, accito notario, vt erant de Aegyptiaca in Graecam linguã versa nostro sermone dictaui, vt & tantis viris imperantibus, ne dicam rogantibus oboedirem, & bono, vt aiunt, auspicio longũ silentium rũperem, reddens me pristinis studijs, & sanctae feminae refrigerans animam, quae monasteriorũ semper amore flagrauit, & quod visura erat in caelo, hoc in terris meditata, Venerabilis quoq. virgo filia eius Eustochiũ haberet quod sororibus agẽdum tribueret, nostriq. fratres Aegyptiorum, hoc est, Thabẽsium monachorum exempla sequerentur, qui habẽt per singula monasteria patres, & dispensatores, & hebdomadarios, ac ministros, & singularum domorum praepositos, ita vt in vna domo quadraginta plus minusue fratres habitent, qui oboediant Praeposito. suntq. pro numero fratrum triginta, vel quadraginta domus in vno monasterio, & ternae, vel quaternae domus in vnam tribum foederantur, vt vel ad opera simul vadant, vel in hebdomadarum ministerio sibi succedant per ordinem.

Explicit Prologus.



INCI-

INCIPIT REGVLA S. PACHOMII.



QVICVMQ. primus in monasterio ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmũ dicit, primus in mensam extendit manũ, prior in ecclesia communicat, nec aetas inter eos quaeritur, sed professio. Aegrotantes miris substentantur obsequijs, & ad omnem copiam praeparatis cibis. sani maiori pollent abstinentia. In hebdomada die quarta, & sexta sabbati ab omnibus ieiunatur, excepto pentecoste. Alijs diebus comedunt qui volunt post meridiem, & in cella similiter mensa ponitur propter laborantes senes, pueros, aestusq. grauissimos. Sunt qui secundo parũ comedũt, alii qui prãdii, siue cenae † vno tantum cibo contenti sunt. Nonnulli gustato pane paullulum egrediuntur. Omnes pariter comedunt. Qui ad mensam ire noluerit, in cella sua panem tantum, & aquam, ac sal accipiat, siue in vno die voluerit, siue in biduo.

† Forte, deest, tempore.

2. Cumq. maior, vel stans prior in gradu, manu percusserit, de scripturis quidpiam reuoluens memoriter, vt oratio finiatur, nullus consurget tardius, sed omnes pariter eleuabuntur.

3. Nemo aspiciat alterum operantem, vel orantẽ, sed defixis luminibus vnusquisq. in suo opere sit intentus.

4. Haec sunt praecepta vitalia tribus a maioribus tradita. Si acciderit psallendi tempore, vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat,

 solum

† Forte, retineant.

† solum cingulũ, & inclinata ceruice manibus ad inferiora depressis stabit ante altare, & a principe monasterii increpabitur. hoc idem facient & in conuentu fratrum, cum aduescendum pariter conuenerint.

Quando ad collectam tuba insonuerit per die, qui vna oratione tardius venerit, superioris increpationis ordine increpabitur, & stabit in loco cõuiuii. Nocturno vero, quia corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui post tres orationes venerit, eodem, & in collecta, & in uescendi ordine corripietur.

6 Quando in collecta orant fratres, nemo egrediatur absq. iussione maiorum, nisi interrogauerit, cõcessumq. ei fuerit exire pro naturae necessitate.

7 Omnes memoriter † retexerint quae sibi fuerint imperata, de quibus siquis oblitus fuerit aliquid, & haesitauerit in dicendo, neglegentiae, & obliuionis increpabitur.

8 In die Dominica in collecta, in qua offerẽda est oblatio, absq. praeposito domus, & maioribus monasterii, qui alicuius nominis sunt, nemo psallendi habeat potestatem. psallente autem quolibet de maioribus, idest, dicente responsoriũ, siquis defuerit, statim ante altare paenitentiae, & increpationis ordinem sustinebit.

9 De collecta, in qua offerenda est oblatio, qui sine praecepto maioris exierit, statim increpabitur.

Mane per singulas domos finitis orationibus non statim ad suas cellas reuertentur, sed conferẽt inter se quae praepositos audierint disputantes, & intrabũt cubilia sua. Disputatio autem a praepositis domorum per singulas hebdomadas tertio fiet, & in

& in ipsa disputatione sedentes, siue stantes fratres suum ordinem non mutabunt, iuxta domorũ ordinem, & hominum singulorum.

10 Si quis dormitauerit sedens praeposito domus, vel monasterij principe disputante, statim surgere † compellitur, & tamdiu stabit, donec ei videatur vt sedeat.

† Forte, cõpelletur.

11 Quando signum insonuerit, vt cõueniant, & audiant praecepta maiorum, nullus remanebit, nec succendetur focus antequam disputatio compleatur. qui vnum mandatum de his praeterierit, praedictae correptioni subiacebit.

12 Dimissa collecta singuli egredientes vsq. ad cellulas suas, & vsq. ad uescendi locum de scripturis aliquid meditabuntur, nullusq. habebit opertum caput meditationis tempore.

13 Cum autem ad uescendum venerint, sedebunt per ordinem statutis locis, & operient capita statim. Vt tibi a maiore fuerit imperatum, vt de alia mensa ad aliam transeas, ire debebis in nullo penitus contradicens. Nec ante Praepositum domus tuae manum in mensa extendas, nec circumspicias vescentes alios. Vnusquisq. Praepositorum docebit in domo sua quomodo debeant cum disciplina, & mansuetudine comedere. Quod si quis vel locutus fuerit, vel riserit in uescendi tempore, aget paenitentiam, & in eodem loco mox increpabitur, & stabit, donec surgant alij de vescendo.

14 Si quis ad comedendum tardius aduenerit, excepto maioris imperio, similiter aget paenitentiam, aut ad domum ieiunus reuertetur.

15 Si aliquid necessariũ fuerit ad mensam, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signi sonitũ dabũt.

Si egressus

16 Si egressus fueris a cibo, ne loquaris in redeundo, donec ad locum tuum perueneris.

17 Ministri absq. his, quae in commune fratribus praeparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos sibi audeant praeparare.

18 Qui percutit ad uescendum, dum congregantur fratres, meditetur aliquid in praecipiendo. Qui ante † foris cõuiuij egredientibus erogat fratribus dulciamina, in tribuendo meditetur aliquid de scripturis.

† Forte, foris.

19 Qui suscipit ea quae dantur, non in cucullo, sed in pelle accipiat, nec ante gustabit de his quae acceperit, donec ad domum peruenerit.

20 Ipse autẽ qui ceteris diuidit, suã partem a Praeposito accipiet. Quod & ceteri ministri faciãt accipiẽtes ab alio, & nil sibi suo arbitrio vindicantes.

21. Nemini plus alteri dabit, quam alter acceperit. quod si obtenditur infirmitas, Praepositus domus perget ad ministros aegrotantium, & ab his quae necessaria sunt, accipiet.

22. Si de ipsis ministris aliquis aegrotauerit, non habebit licẽtiam introeundi in coquinã, vel cellariũ, & sibi aliquid auferendi, sed ei ceteri ministri id quod necessarium viderint, dabũt. nec permittitur coquere sibi quod desiderabit, sed praepositi domorum quae necessaria viderint ei, ab alijs ministris accipient.

23. Nullus introeat locum aegrotantium, qui non aegrotat. Qui aegrotauerit, a praeposito domus ducitur in triclinium aegrotantium. quod si opus habuerit palliolo, aut tunica, aut ceteris quae ad operiendum, vel ad uescendum necessaria sunt, ipse praepositus accipiet a ministris, & dabit aegrotãti.

Nec

Nec poterit languidus ingredi cellam vescentium, & comedere quae desiderat, nisi a ministro qui huic rei praepositus est, ducatur ad vescendū. Nō ei licebit de his quae acceperit in loco aegrotantiū ferre ad cellulam suam, nec pomum quidem.

24 Qui pulmētaria coquunt, ipsi nihil † edentibus ministrabunt. † Forte, edentes.

25 Vinum, & liquamen, absq. loco aegrotantium nullus attingat.

26 Si aliquis eorum qui peregre mittuntur, in itinere, vel in via aegrotauerit, necessitatē, siue desiderium † comedēdi liquamē de piscibus, vel † aliarū rerum † comedere quae nō consueuerunt, non mā-ducabit cū fratribus ceteris, sed separabitur, & dabitur ei a ministris ad omnem abundantiam, vt in nullo frater languidus contristetur. † Forte, deest habens. † Forte, deest, aliquid † Forte, comedi.

27 Aegrotantem absq. concessu maioris nullus audeat visitare, nec propinquus quidem atq. germanus sine imperio praepositi domus ministrandi habebunt potestatem.

28 Si vnum ex his ab aliquo fuerit praetermissum atq. neglectum, increpatione solita emendabitur.

29 Siquis accesserit ad ostiū monasterij volens saeculo renuntiare, & fratrum congregari numero, non habebit intrandi potestatem. sed prius nuntiabitur patri monasterij, & manebit paucis diebus foris ante ianuam, & docebitur orationem dominicam, & psalmos quantos potuerit discere, & diligenter sui experimētum dabit, † ne forte aliquid fecerit, & turbatus ad horam discesserit, aut sub aliqua potestate sit, & vtrum possit renuntiare parentibus suis, & propriam facultatem contemnere. Si eum viderint aptum ad omnia, tunc docebitur & † Forte, num.

reliquas

reliquas monasterij disciplinas, quas facere debeat, quibusq. seruire siue in collecta omnium fratrum, siue in domo cui tradendus est, siue in uescendi ordine, † & instructus atq. perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Tunc mutabunt eum vestimentis saecularibus, & induent habitum monachorum, tradetur ostiario, vt orationis tempore adducat eum in conspectū omnium fratrum. sedebit in eo loco, in quo ei praeceptum fuerit, vestimēta autem quae secum detulerat, accipient qui huic rei praepositi sunt, & inferentur in repostorio, & erunt in potestate principis monasterij.

† Forte, vt

30 Nemo manens in monasterio suscipiendi quempiam ad uescendum habet † potestatem, sed mittet eum ad ostium exinoditij, & suscipiatur ab his qui huic rei praepositi sunt.

† Forte, habeat.

Forte, xenodochij.

31 Quando ad ostium monasterij aliqui venerint, si clerici fuerint, aut monachi, maiori honore suscipiantur. lauabunt pedes eorum, seruabunt euangelij praecepta, & deducent ad locum exinoditij. praebebunt omnia quae apta sunt vsui monachorum. Quod si voluerint orationis tēpore atq. collectae venire ad conuentum fratrum, si eiusdem fidei fuerint, minister exinoditij nuntiabit patri monasterii, & sic deducentur ad orandum.

Forte, xenodochij.

Forte, xenodochij.

32 Si saeculares homines, aut debiles, aut vasa infirmiora, idest, mulierculae venerint ad ostium, suscipient singulos in diuersis locis iuxta ordinem praepositi, & sexus sui, praecipue feminas maiori honore & diligentia curabūt, cum omni timore Dei, & locum separatum ab omni virorum victima eis tribuant, vt nulla sit occasio blasphemādi. Quod si ad vesperam venerint, abiicere eas nefas est, sed

Forte, vicinia.

accipient

accipient, vt diximus, separatū locum, & clausum cum omni disciplina atq. cautela, vt grex fratrum libere suo officio seruiat, vt nulli detur offendiculum detrahendi. ſ et

33 Siquis ante ostium steterit monasterii dicens se velle videre fratrem suum, vel propinquū, Ianitor nuntiabit patri monasterii, & ille accitum interrogabit praepositum domus, si apud eum sit, & permittente eo accipiet comitem egressionis suae, cuius fides probata est, & sic mittitur ad fratrem vidēdum, vel ad proximum. Si forte aliquid attulerit ciborum, quibus in monasterio vesci licitum est, suscipere ipse nō poterit, sed vocabit Ianitorem, & ille allata suscipiet. quae si talia fuerint, quae cum pane vescenda sint, nihil horum eis † quibus allata sunt, accipient, sed cuncta ad loca aegrotantium deferentur. † Forte, ij.

34 Si fuerit nūtiatū quod de propinquis quis aegrotet, Ianitor primus nuntiabit patri monasterii, & ille accitum interrogabit Praepositum domus. Videbunt virum cuius fides, & disciplina probata sit, & mittent cum eo, vt visitet aegrotantem. tantum accipiet viatici, quantum Praepositus domus eius decreuerit.

35 Quod si necessitas inpulerit, vt foris maneat, & vescatur in paterna, aut in propinquorum domo, hoc nō faciet, sed manebit in dominico, vel in monasterio eiusdem fidei. Quod si ei adfines, vel cognati praeparauerint cibos, & apposuerint, nec accipient omnino, nec vescentur nisi his, quae in monasterio edere consueuerunt. non gustabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quippiam quorum edendi non habent consuetudinem. Si a parentibus

rentibus quippiam acceperint, tantum comedent quantũ in via sufficit. Cetera quae remanserint, dabunt Praeposito domus suae, & ille portabit in cellam languentium.

36 Si propinquus alicuius, aut consanguineus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit potestatem, nisi pater monasterij praeceperit.

37. Nullus solus mittatur foras ad aliquod negotiũ, nisi iuncto & altero. Quando autem reuersi fuerint in monasteriũ, si viderint ante ostium quaerẽtem aliquẽ suorum affinium de his qui in monasterio commorantur, non audebunt ire ad eum & nuntiare, vel vocare. & omnino quidquid foris gesserint, & audierint, in monasterio narrare non poterunt.

38 Si signum datum fuerit vt egrediantur ad opus, Praepositus antecedet eos, & nullus in monasterio remanebit, nisi is cui pater praeceperit, & hi qui vadunt, quo pergunt non interrogabunt, sed vnusquisq. de scripturis aliquid meditabitur. Si forte eis alius occurrerit, vel voluerit cum aliquo eorum loqui, Praepositus, vel alius cui hoc iniunctum fuerit, occurrentibus respondebit. parentes nil loquantur saeculare, sed aut meditentur quae sancta sunt, aut certe silebũt. Nemo palliolum tollens secum † vadens ad operãdum, nisi concessione maioris. Operans non sedebit sine maioris imperio.

† Forte vadet.

39 Absq. Praepositi iussione nemo fratrum, si necessariũ habuerit, aliquẽ mittere poterit. quod si ipse qui maior est, cogitur necessitate ire ad aliquem locũ, officiũ suũ ei, qui post se est in ordine, delegabit.

40. Omnia autem ferramenta post operationem ad domum reportabuntur.

Siquis

41 Siquis lauare voluerit vestimentum, commonebit Praepositum suum, & ille mittet cum eo aliũ, & lota veste reuertuntur domum, & siccatam reponit ille, cui hoc iniunctum est.

42 Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

43 Palmarum folia, vnde texuntur sportae, nemo suo iure tollat, absq. eo cui palmae sunt creditae.

44 Nullus vuas, aut spicas adhuc inmaturas comedere audeat propter ordinem disciplinae, & omnino de omnibus quae in agro sunt, vel in pomario nemo comedet separatim antequam cunctis fratribus par exhibeat.

45 Qui coquent, ante quam fratres comedant, non audebunt edere.

46 Qui super arbores pomarias, & super vineas sunt, nõ comedent de fructibus earum, nisi fratres prius comederint. si iussi fuerint pomorum, vel vinearum fructus colligere, Praepositus colligentiũ dabit in eodem loco singulis ad uescendum modica. & cum ad monasterium venerint, inter ceteros fratres partes suas accipient. Si autem inuenerint sub arboribus poma cecidisse, comedere non audebunt, sed inuenta in transitu iuxta radices arborum collocabunt. Ipse quoq. qui ceteris colligentibus distribuit, gustare non poterit, sed portabit ad dispensatorem, qui cum ceteris dederit, & ipsi tribuat partem suam.

47 Nullus in cella sua reponat aliquid ad uescendũ absq. his quae a dispensatore acceperit.

48 Qui nolunt in commune vesci cum ceteris, quasi maiori abstinentiae † dedicantes, quando edere debuerint quod eis vna die sufficiat, panem & sal accipiant — † Forte, de- est, se.

accipiant

[Handwritten note:] ...ass. lib. 4. c. 13 ... omni ex parte nudos existere, ut praeter ... lebium, mafortem, caligas, melotem ac psiathium nihil amplius habeant ... c. 35. cum ... accipiant ... monasterij autem

16

accipiat tātum. Praeter monasterium & coquinam nulli coquendi cibos habeant potestatem.

49. Nemo in cella sua habeat praeter ea, quae monasterij lege praecepta sunt, nec paucos nummos, nec proprium sibi, quod † extra habitum suum. si quid inueneris, absq. contradictione auferes.

† Forte deest, sit.

50. Si quis trāsfertur de domo in alteram domum, excepto ea quae vsui quotidiano ad habitum necessaria sunt, secum transferre nihil poterit.

51. Nullus neq. exeundi in monasterio, neq. extra murum monasterii procedendi foras habeat facultatem, nisi interrogauerit Praepositum, & ille concesserit. *Smaragd. consenserit: sed s. c. 6. concesserit.*

52. Cauendum est autem ne quis de domo in alterā domum verba transferat, nec de monasterio in monasterium, nec de monasterio in agrum, nec de agro in monasterium.

53. Si quis ambulauerit in via, vel nauigauerit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in monasterio, quae ibi geri viderit.

54. Non dormiat † praeter redine cellulam, cumq. ad dormiendum se collocauerit, alteri non loquatur. postquam obdormierit, si post somnum nocte euigilauerit, oret.

55. Si ieiunii instat dies, & sitire coeperit, bibere nō audebit.

56. Nemo lauare alterum poterit, aut vngere, nisi ei fuerit imperatum.

Nemo

† Forte legendum, p̄ter recline Sellullam. idest, extra Sellulā reclinem. sic ut Dionys. exiguus in vita Pachomij loquitur, Nec praeter mensam suos alibi circumferet aspectus. Namq apud Palladium graece sic erat, καθευδέτωσαν δὲ μὴ ἀνακλινόμενοι, ἀλλὰ θρόνους οἰκοδομητοὺς ὑπτιωτέρους πεποιηκότες ἐνθέντες αὐτοῖς τὰ στρώματα αὐτῶν. Quae vetus interpres, vt est in ueteri libro, sic vertit. Somnum vero capiant non iacentes, sed super instructas & paullulum reclines cathedras, & velatas palliis suis sedentes quiescant. Sic apud Horatium adclinis in VV. LL.

[Handwritten marginal notes:] Smaragd. ad cap. 67. ... exeundi in agrum, neq. ambulandi in monasterio. Sm. ... c. 1. Qui in monasterio primus ingreditur ...

[Handwritten note:] Smaragd. ad cap. 55. Hinc sanctus Pachomius ait: Nemo habeat praeter ea quae in commune monasterij lege praecepta sunt, non tunicam, nō pallium, ... nummum, nec ad caput puluillum, exceptis his quae a patre ... dividuntur.

57. Nemo in tenebris alteri loquatur. Nullus cum altero dormiat ſtratu.[a] Manũ alterius nemo teneat.

58. Siue ambulauerit, ſiue ſederit, aut ſteterit, vno cubito diſtet ab altero. Nullus attondeat caput absq. maioris arbitrio.

59. Mutare de his quae a Praepoſito acceperit cum altero nõ audebit, nec accipiet melius, & dabit deterius, aut ecõtrario dans melius deterius accipiet, & in ueſtimento, & in habitu ſuo nil noui praeter ceteros cauſa decoris inueniet.

60. Nemo vadens in congregationẽ ad ueſcendum, dimittat codicem non ligatum. Codices poſt nonã [b] attendant ad quem pertinent.

61. Si quis fratrũ laeſus fuerit, aut percuſſus, tamẽ lectulo non decumbit, ſed ambulat inualidus, & aliqua re indigebit, veſtimẽto, vel palliolo, & ceteris vtẽſilibus, Praepoſitus accipiet, & dabit. Cumq. ſanus fuerit, reportabit ſine mora vlla.

62. Nemo ab altero accipiet quippiam niſi praepoſitus iuſſerit.

63. In villam nullus vadat niſi miſſus. ſuper nudum dorſum aſini. Duo pariter non ſedebunt, nec ſuper temonem plauſtri. *temonem*

64. Ad officinas diuerſarum artiũ ſoli pergent praepoſiti, vt accipiant quod neceſſarium eſt. Ad alterius cellulam intrare nullus audebit.

65. [c] Comedatũ aliquid etiã a germano fratre nullus accipiat.

66. Nihil in cella ſua absq. praepoſiti iuſsione quiſpiam condet, nec poma quidem.

67. Si Praepoſitus profectus fuerit, aut alter praepoſitus, [d] aut qui ſecundus eſt, curã proficiſcentis exerceat, vel quem ipſe praepoſitus elegerit de fratribus,

a Forte, ſtratus, vel eodem ſtratu.

Leuit. c. vlt. ſec. LXX.

b Forte, accendantur, vel, attendatur.

Super nudum dorſum aſini duo pariter non ſedebunt

c Forte, cõmẽdatum, vel cõmodatum.

d Forte, abundat, aut.

ſ. c. 101. 102. 11

Hier. ad Euſtoch. de cust. virg. ep. 22 B de Aegypti coenobitis. Manent separati, sed iunctis cellulis. vsq. ad horam nonã, vt institutũ est, nemo pergit ad alium. post horam nonam in commune concurritur; psalmi resonant, et scripturae recitantur more. et completis orationibus, cunctisq. residentibus, medius quem patrem vocant, incipit disputare. quo loquente tantũ silentium fit [illegible]

bus, & curam ei suam iniunxerit.

68 Quando farinam conspergunt aqua, & massam a subijciunt, nemo alteri loquatur. & quando tabulis ad furnum deportant panes, simile silentium habebunt. tantū de psalmis, aut de scripturis aliquid meditabuntur, donec opus impleant. Si quid necessarium fuerit, non loquantur, sed signum b his qui possunt adferre quae necessaria sunt. Quādo ad miscendam farinam vocati fuerint, nullus resedeat in loco panes coquentium. exceptis his qui coctioni sufficiēt, & quibus iussum fuerit, nemo remanebit.

a Forte, subigunt.

b Forte, desit, dent.

69 In nauibus similis disciplina est. Nemo a terra soluit c nauigium, funiculū, nec mouet nauigium absq .iussione patris. In interiore parte nauis ceteris fratribus super transtra & tabulata quiescentibus nullus dormiat. Et saeculares homines dormire secum nullus patiatur. Vasa infirmiora cum eis non nauigabunt, nisi forte pater monasterij praeceperit.

c Forte, nauigij funiculum.

70 Nullus in domo sua audebit focum facere, nisi in commune omnibus succendatur.

71 Qui vna oratione tardius venerit, vel qui mussitauerit, aut locutus fuerit ad alterum, vel qui riserit, in reliquis orationibus, constituto ordine aget paenitentiam.

72 Quando domi resident, non eis liceat loqui aliquid saeculare, sed si quid Praepositus de scripturis docuerit, vicissim inter se ruminēt, & referent d ne quis audierit, vel quae memoriter tenent.

d Forte, vel quae audierint.

73 Qui vas fictile fregerit, vel aliquam vtilitatem aduersus e monasterij, aget paenitentiam.

e Forte, monasterium.

74 Si frater dormierit, omnis eum fraternitas prosequatur, nemo exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat

remaneat excepto maioris imperio.

Audito autem signo excitantis, aut voce psallentis, omnes surgant currentes ad orationes. Nullus ante psallat, nisi ei iussum fuerit, nec completo psalmo alterum sine Praepositi iussione audeat iungere. Nemo autem ante Praepositum suum, & ducẽ suum ambulet. Nullus remaneat de ordine suo.

Siquis aliquid perdiderit, ante altare publice corripietur. si vero de proprijs vesticulis fuerit quod perditum est, tribus hebdomadibus non accipiet, & in quarta acta paenitentia dabitur ei quod amisit. Qui inuenerit aliquid, per tres dies ante collectam fratrum suspẽdat, vt tollat qui cognouerit. lotum in domo nemo faciat absq. praeposito, & omne quod nouum est, illius sentẽtia disponetur. Omnis correptio ita fiet, vt a disiuncti b sũt qui corripiuntur, dimissis manibus & humiliato capite, emendaturos se promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.

a Forte discincti
b sint.

Qui absq. ordine fratrum recesserit, & postea acta paenitentia redierit, non erit in ordine suo absq. maioris imperio.

Qui rudis in monasterio fuerit ingressus, docebitur prius quae debeat obseruare, & cum doctus ad vniuersa consenserit, dabunt ei. xx. psalmos, aut duas epistulas apostoli, aut alterius scripturae partem. Et si litteras ignorauerit, hora prima, tertia, & sexta vadat ad eum qui docere potest, & qui ei fuerit delegatus, & stabit ante eum & discet studiosissime cum omni gratiarum actione. Postea scribentur ei elementa syllabarum, verba ac nomina, & etiam nolens legere compellatur, & omnino nullus erit in monasterio qui nõ discat litteras,

& de scripturis aliquid teneat, quod minimum est, vsq. ad nouum testamétum, & psalterium. Omne quod in conuétu fratrum audierint disputatum, cogentur inter se vt recolant.

79 Ad psallendum, & ad orandum nullus sibi occasiones inueniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit, & si in naui fuerit, & in agro, vel in itinere, & in monasterio quolibet opere & ministerio detentus, orandi & psallendi [a] tempore nō praetermittet.

a Forte, tepora.

80 De puellarum disciplina. Nemo ad eas vadat visitandas nisi qui habet ibi matrem, vel sororem, aut propinquas, & consobrinas, seu matrem filiorum suorum. Si autem [b] de ante conuersione paterna eis debetur hereditas, aut aliqua caussa manifesta est, mittent cum his probatae aetatis virum ac vitae, & videbunt eas, & pariter reuertentur. Nemo vadat ad illas, nisi hi quos supra diximus. Ita vt primū faciant renūtiari patri monasterii, & ille mittet ad seniores qui in monasterio virginum delegati sunt. qui occurrent eis, & cum ipsis videbūt eas, quas necesse habebunt, cum omni disciplina & timore Dei. Non eis loquentur de rebus saecularibus.

b Forte, ante conuersionem.

81 Quicumq. de his mandatis aliquid praeterierit, absq. vlla dubitatione, neglegentiae atq. contemptus aget paenitentiam, vt possidere valeamus regna caelorum.

82 ¶ Praecepta & instituta patris nostri Pachomij hominis Dei, qui fundauit ab exordio sanctae vitae communionem iuxta imperium dei. plenitudo legis caritas, scientibus tempus quod instet hora vt de somno consurgamus, & vicinior sit salus

nostra,

nostra, quam eo tempore cũ credidimus, nox processit, dies autem appropinquauit. Deponamus opera tenebrarum, quae sunt contentiones, detractiones, odia, & tumentis animi superbia.

83. a Qui facilis est ad detrahendum, & dicit quod nõ est, b qui in hoc peccato fuerit deprehensus, monebunt eum secundo, & si audire cõtempserit, c separabunt eum extra conuentum fratrum septem diebus, & panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur, atq. confirmet ab hoc vitio se recessurum, & sic dimittetur ei.

84. d Si iracundus & furiosus, si frequenter irascitur sine caussa, & propter rem inanem & vacuã, per sex vices commonebitur, & in septima facient eũ surgere de ordine sessionis, & inter vltimos collocabitur, docebuntq. eum, vt ab hac mentis perturbatione mundetur. cumq. tres testes dignos testimonio adduxerit, qui pro eo polliceantur, nequaquam simile quid esse facturum, recipiet sessionẽ suam. alioqui si permanserit in vitio, moretur inter vltimos perdito priore loco.

85. e Qui falsum cupit probare contra alterum, vt opprimat innocentem, tertiò cõmonebitur, & postea reus erit iniquitatis suae, f de priori loco fuerit, siue de inferioribus.

86. g Qui habet pessimam consuetudinẽ, vt fratres suo sermone sollicitet, & peruertat animos simpliciorum, tertio commonebitur. si contempserit, & obstinato animo in duritia perseuerauerit, separabunt eum extra monasteriũ, & verberabitur ante fores. h xxx nouem dabũt ei ad vescendum panem solum, & aquam, donec mundetur a sordibus.

87. Qui habet pessimã cõsuetudinẽ murmurãdi, & quasi

a In lib. sent. patrũ de off. rect. eccl. c. 87.
b si.
c separabitur.
d Ibidem.
Sed sine. Particula.
e Ibidem.
f siue de priorib. siue de inferiorib.
g In lib. sent patrũ de off. rect. eccl. c. 88.
h Non est in li. sent. patrum.

quasi graui opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quod sine caussa murmuret, & ostē dent perspicue veritatem, si post haec inobœdiens fuerit, & est perfectae aetatis, ita eum habebunt, vt vnū de aegrotantibus, & ponetur in loco infirmorum, ibiq. alitur otiosus, donec redeat ad veritatem. Si autem iusta est illius querella, & a maiore inique opprimitur, qui eum scandalizauit, eidem sententiae subiacebit.

a In li. sententiae patrū de off. eccl. c. 88. b aut. c nō est in lib. de off. eccl.

88 a Si inobœdiēs quis fuerit b & cōtētiosus, aut cō tradictor, aut mendax, & est perfectae aetatis, deciens cōmonebitur, vt desistat a vitiis. si c autē audire noluerit, monasterij legib. increpabitur. quod si alterius culpa ad haec vitia deuoluitur, & hoc fuerit cōprobatū, ille qui caussa extitit, reus erit vltiōis.

d In li. sententiae patrū de off. eccl. c. 89.

89 d Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libēter cum pueris ridere, & ludere, & habere amicitias aetatis infirmae, tertio commonebitur vt recedat ab earum necessitudine, & memor sit honestatis ac timoris Dei. Si non cessauerit, corripietur vt dignus est correptione seuerissima.

e In eodē lib. c. 90.

90 e Qui cōtemnēt praecepta maiorum, & regulas monasterij, quae Dei praecepto constitutae sunt, & paruipendent seniorum consilia, corripientur iuxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

91 Qui iudex est omnium peccatorum, & peruersitate mentis & neglegentiae reliquerit veritatem, viginti viri sancti & timentes dominum Deum, siue decem, & vsq. ad quinq. de quibus omnes dent testimonium, sedebunt, & iudicabunt eum, & degradabunt in vltimum gradum, donec corrigatur.

92 Qui conturbat fratrum animos, & facilis est ad detrahendum lites serens & iurgia, deciens commonebi-

monebitur, & si non fuerit emendatus, corripietur ordine monasterij, donec corrigatur.

93 Qui viderit de maioribus, & praepositis fratrū suorum tribulationem, & noluerit caussam tribulationis inquirere, eamq. contempserit, quaeretur causa a supradictis iudicibus inter fratrē atq. praepositum, & si deprehenderint neglegentia Praepositi, vel superbia coangustatum fratrem, & iudicasse eum non secundum veritatem, sed secundū personam, degradabitur de solio suo, donec corrigatur, & ab iniustitiae sordibus emundetur, quia nō consideravit veritatē, sed personas, & seruiuit prauitati animae suae, & non Dei iudicio. S. c. 91.

94. Siquis promiserit se obseruare regulas monasterij, & facere coeperit, easq. dimiserit, postea autem reuersus egerit paenitentiam obtendens infirmitatem corpusculi, per quam nō possit implere quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari, & pascetur inter otiosos, donec acta paenitētia impleat quod promisit.

95. Pueri in domo si fuerint dediti lusibus & otio, & correpti non potuerint emendari, debet Praepositus vsq. ad dies triginta ipse eos monere, & corripere. Si viderit in prauitate persistere, & non nuntiauerit patri monasterij, & aliquod peccatum in eis fuerit deprehensum, ipse pro eis culpae subiacebit iuxta quod peccatum fuerit inuentum.

96 Omnes autem pueri qui non timent confundi pro peccato, & per imprudentiā iudicium Dei non cogitāt, & correpti verbo non [a] emendauerint, verberentur quamdiu disciplinā accipiant, & timorē.

97. Qui iniuste iudicauerit, iuste ab alijs condemnabitur.

[a] Forte, deest, se.

98 Qui consentit peccatibus, & defendit alium delinquentē, maledictus erit apud deum, & homines, & corripietur increpatione pessima. Quod si per ignorantiam deceptus est, & non ita putauit, vt verum est, ignoscetur ei. Et omnis qui per ignorantiam peccat, facile accipiet veniam. Qui autem sciens peccauerit, sustinebit increpationem iuxta mensuram opusq. peccati sui.

99 ¶Praecepta & leges Pachomij, ne plus operis fratres facere compellantur, sed moderatus labor omnes ad laborandum prouocet. Sit inter eos pax & concordia, & libenter maioribus a subiaceantur, sedentes, & ambulantes, & stantes inuicem b se de humilitate curantes.

a Forte, subiaceant, vel subiciantur.

b Forte, inter se de humilitate certātes.

100 Siquis peccatum fecerit, patres monasteriorum emēdare poterūt, & constituere quid sequi debeāt.

101. Praepositus autem domus, & qui secundus ab eo est, hoc tantum iuris habebunt, vt compellant fratres in peccatis singulis vel in collecta domus, siue in collecta maiore, hoc est omnium fratrum, subiacere paenitentiae.

102 Quod si Praepositus peregre fuerit, qui secundus est, locum eius implebit tam in paenitentia fratrū recipienda, quam in quocumq. alio eorū, quae in domino necessaria sunt.

103. Si quis absq. conscientia duorum ierit ad alteram domum, vel alterius domum, fratrem, codicē ad legendum mutuum postulauerit, vel quodlibet aliud, monasterij ordine increpabitur.

104. Qui vult sine macula & contēptu in domo, cui deputatus est, viuere, omnia quae praecepta sunt coram deo obseruare debebit.

105. Quidquid necessarium est siue in agro, siue in mona-

monasterio, Praepositus implicatus impleat.

106. Sex orationes [a] facere vespertinas iuxta exemplum maioris collectae, in qua omnes fratres pariter congregantur.

a Forte, faciant.

107 Summae dilectionis est, etiam si facile fuerit, vt nullum onus habeant, & ex onere nascatur taediũ.

108 Siquis de foris venerit, & aestu laborauerit, aliiq. fratres orationem celebrauerint, si ire non potest, non cogatur.

109 Quando Praepositi domorum fratres de cõuersatione sanctae vitae docebunt, absq. grauissima aegritudine nullus aberit.

110. Maiores quicumq. e fratribus mittuntur foras, quamdiu ibi fuerint, habebunt ius praepositorum. cuncta gerentur arbitrio eorum. docebunt fratres per constitutos dies. et si forte aliquid inter eos ortum fuerit simultatis, audientur a maioribus, & iudicabunt caussam, & dignum culpa increpabunt, vt ad imperium eorum statim [b] pacem pieno corde consentiant.

b Forte, paci.

111. Siquis de fratribus contra Praepositum domus suae habuerit tristitiam, & ipse Praepositus contra fratrem aliquam querimouiam, fratres probatae conuersationis, & fidei, audire eos debebunt, & iudicabunt inter eos. Si tamen absens est pater monasterij, vel aliquo profectus, primum quidem expectabunt eum. si autem diutius foris commorari viderint, tunc audient inter Praepositum & fratrem, ne de suspenso iudicio maior tristitia oriatur. vt & ille qui praepositus est, & ille qui subiectus est, & hi qui audiunt, iuxta timorem dei cũcta faciant, & in nullo dent occasionem.

112. De vesticulis. Siquis de his quae praecepta sunt amplius

amplius habuerit absq. concessione maioris, defe rentur ad custodem vestium, & introeũdi illuc vel postulandi caussa non habebit potestatem, sed erũt sub Praepositi arbitrio, & qui secundus ab eo est.

113 ¶ Praecepta Pachomij de collecta fratrum, quo modo collecta fieri debeat, & fratres [a] cõgregandi ad audiendum verbum Dei iuxta praecepta maiorum, & doctrinam sanctarum scripturarum, vt liberentur de errore animae conuersorum, & glorificent Deum in luce viuẽtium. vt sciant quomodo oporteat in domo dei conuersari sine ruina & scandalo, vt non inebrientur aliqua possessione, sed stent in mensura veritatis, & traditionibus apostolorum, & prophetarum, & [b] sollemnitatem ordinẽ teneant imitantes cõgregationem eorum in domo dei, & ieiunia atq. orationes ex more complentes. Qui enim bene ministrant, sequuntur regulam scripturarum.

[a] Forte, cõgregari.

[b] Forte, sollemnitatũ.

Iob. 30. in fine

114. Hoc est ergo ministerium quod ministri ecclesiae implere debebunt. Congregent fratres orationis tempore, & omnia faciant quae rite complenda sunt, vt nullam occasionẽ detractioni tribuant. nec sinant quempiam ambulare contrarium disciplinae. Si codicem postulauerint, deferant eis.

contra ritum

115. Si quis de foris venerit vesperi, & non occurrerit accipere opus quod postera die facturus est, mane tribuant. si defecerit opus quod habebat in manibus, referet ad maioris sententiam, & quod ille praeceperit, faciat.

116. Qui minister est, habeat studium ne quid operis pereat in [c] monasterium, in nulla omnino arte quae exercetur a fratribus. Quod si quid perierit & neglegentia fuerit dissipatum, increpabitur a pa

[c] pro, in monasterio.

tre

tre minister operum singulorum, & ipse increpabit alterum, qui opus perdiderit, dumtaxat iuxta voluntatem & sentẽtiam principis, absq. quo nullus increpandi fratrem habebit potestatem.

117. a Si vestimentũ ad solem exspansum tertius inuenerit dies, dominus vestimenti pro eo increpabitur, & aget paenitẽtiam publice in b collectam, stabitq. in vescendi loco.

118. c Si inuẽtus fuerit vnus de fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens maioris imperio, increpabitur iuxta mensuram peccati sui.

119. d Qui mẽtitur, aut odio quemquam habere fuerit deprehẽsus, aut inoboediens, aut plus ioco, quã honestum est, deditus, aut otiosus, aut dure respondens, aut consuetudinem habens fratribus detrahẽdi, e ne his quae foris, & omnino quidquid cõtra regulam scripturarum est, f in monasterio disciplinã, audiet pater monasterij, & vindicabit iuxta mensuram opusq. peccati.

120. g Pelliculae, h & caligulae, & cingulũ, & si quid aliud perierit, qui perdiderit, increpabitur.

121. i Siquis tulerit rem non suam, ponetur super umeros eius, & aget paenitentiam publice in collecta, stabitq. in vescendi loco. Si autem in furto fuerit deprehensus, triginta sex verberabunt eum, & foris dabitur ei edere panem & aquam tantum, & opertũ cilicio & cinere per singula orationum tempora cogent eum agere paenitentiam. Eadem lex in fugitiuis obseruabitur.

Praepositus domus culpae increpationi subiacebit, si ante tres dies non nuntiauerit patri, siue in via, siue in agro, seu in monasterio quod k perierit. aget l paenitentiam iuxta ordinem constitutum.

a In li. sent. patrũ de off. rect. eccl. c 76.
b pro in collecta.
c In li. sent. patrũ de off. rect. eccl. c. 84.
d Ibidem.
e Vel ijs qui foris sunt.
f & monasterij disciplinam.
g In codẽ lib. cap. 76.
h pellicula & gallice. Forte, caligae.
i In li. sent. patrũ de off. rect. eccl. c. 84.
k Forte, perierit.
l Forte, agetq.

Quod

123 Quod si homo fugerit, & ante tres horas non nũtiauerit patri, reus erit perditionis eius, nisi eũ iterum inuenerit.

124 Haec est vltio in eum, qui fratrem de domo perdiderit, tribus diebus aget publicam paenitẽtiam. Quod si eadem hora qua fugerit, nũtiauerit patri, reus non erit peccati.

125 Si in domo sua Praepositus viderit delinquentẽ, & non nuntiauerit patri monasterij, ipse increpationis ordini subiacebit.

126 Per domos singulas vesperi sex orationes psalmosq. complebunt iuxta ordinem maioris collectae, quae cunctis fratribus in commune celebratur. Per singulas hebdomadas a in dispositiones ap positis complebuntur. Nullus in domo quippiam faciet, nisi quod praepositus iusserit.

a Forte, dispositiones a praepositus.

127 Si omnes fratres qui in domo sũt, viderint Praepositum nimium neglegentem, & mensuram monasterij b excidentem, referent ad patrem, & ab eo increpabitur. Ipse autẽ Praepositus nihil faciat praeter id quod pater iusserit, maxime in re noua. Nam quae ex more descendit, obseruabit regulas monasterij.

b Forte, excedentẽ.

128 Praepositus non inebrietur, nec sedeat in humilioribus locis iuxta vasa monasterij. Ne rumpat vincula quae deus in caelo condidit vt obseruẽtur in terris. ne lugeat in die festo domini saluatoris. Dominetur carni suae iuxta mensuram sanctorũ. Nõ inueniatur in excelsis cubilibus imitatus morẽ gentilium. Non sit duplicis fidei. Non sequatur cogitationes cordis sui, sed sublimioribus legẽtibus non resistat tumenti animo potestatibus, non fremat, nec inruat super humiliores. non transferãt

rat terminos. non sit fraudulentus, nec in cogitationibus verset dolos. non neglegat peccatum animae suae exstirpare, nec vincatur carnis luxuria. nõ ambulet neglegenter, non cito loquatur verbum otiosum. Non ponat scandalum ante pedes caeci. Non doceat voluptates animam suam. Non soluatur stultorum risu ac ioco, non rapiatur cor eius ab his qui inepta loquũtur ac dulcia. Nõ vincatur muneribus, non paruulorum sermone ducatur. Non affligatur in tribulatione. non timeat mortem, sed deum. ne praeuaricator sit propter eminenté timorem. Ne relinquat verum lumen propter modicos cibos. Non vacet in fluctu, & in operibus suis. non mutet sententiam ueram, sed firmus sit solidiq. decreti, iusta cuncta considerans, iudicans in veritate, absq. appetitu gloriae, manifestus deo & hominibus, & elongans se a fraude. Non ignoret conuersationem sanctorum, nec ad eorum scientiam caecus existat. Nulli noceat per superbiam. ne sequatur concupiscentias oculorum suorum. non eũ superent incentiua vitiorum, veritatem numquam praetereat. oderit iniustitiam, sed personam numquam iudicet pro muneribus, nec condemnet innocentem per superbiam. Non rideat inter pueros. non deserat veritatem timore superatus. Non comedat panem de fraudulentia. Non desideret alienam terram. non opprimat animam propter aliorum spolia. Non despiciat eos qui indigent misericordia, nec falsum testimonium dicat seductus lucro. nec mentiatur propter superbiam, nec contendat contra veritatem ob tumorem animi, nec deserat iustitiam propter lassitudinem. ne perdat animam suam propter verecundiam. Ne respiciat

a Forte, fletu.

dapes

dapes lautioris mensae, ne pulchra vestimenta desi
deret, ne senes neglegat. semper diiudicet cogitatio
nes suas, ne inebrietur vino, sed humilitatem iun-
ctam habeat veritati. quando iudicat, sequatur
praecepta maiorum, & legem Dei, quae toto orbe
praedicata est. Si quidquam de his praeterierit, red
detur ei mensura iuxta quam mēsus est, & recipiet
a Forte, quae. secundum opera sua a qua moechatus est in ligno
& lapide, & propter fulgorem auri, & splendorem
argenti dimisit iudicium, & desiderijs temporalis
b Forte laqueos vel laqueis. lucri b laqueus se induit iniquorum. Et eueniet ei
cōtritio Hely & filiorum eius. Maledictio c Dauid
c Forte, Dei. qua imprecatus est Caim, perditio qua peccatores
terrae hiatus absorbuit, & interitus Chananaeorū
& contritio hydriae ad fontem, et harenarum com
minutio in litoribus quae salsis fluctibus verberā-
tur, & cōfractio virgae gloriosae de Isaia, vt sit qua-
si caecus palpans manu parietem. Haec omnia
eueniēt ei, quia non seruauit veritatem in iudicio,
& inique egit in omnibus quae ei credita sunt.

REGVLA MONACHORVM
quam Pachomius ab Angelo suscepit.



SINGVLIS iuxta vires suas edere cō-
cedas & bibere, & pro modo vescen-
tiū laborare cōpellas, & neq. comede
re molestes, neq. ieiunare prohibeas.
Validioribus quidem & comedentibus validiora,
leuiora vero infirmioribus & abstinētib. inponas.
Facies autem cellulas diuersas, & trinos per vnam
quamq. cellulā manere constitues. Omniū vero ci
bus in vno loco paretur, atq. cōsumatur. Induātur
autem

autem noctibus lebitenos lineos praecincti lũbos, habeantq. ſinguli meloten, ideſt caprinam pellem confectam albam, ſine qua non comedant, neq. dormiant. Accedentes tamen ad communionem ſacramentorum Chriſti, & cingulos ſoluant, & meloten deponant, cucullis vtentes tãtummodo. Hoc erat etiam praeceptum, vt iuxta numerũ elementorum, & graecarum litterarum. xxiiij. turmae monachorum conſtituerentur, ita vt ſingulis turmis inponerentur ſingularum nomina litterarum. ideſt alpha, & deinceps vſq. ad ω. vt cum interrogaret archimandrita de aliquo in multitudine tanta, facili reſponſione cognoſceret. Verbi gratia, vt cũ diceret alpha, vel cetera. & rurſus [a] ſigma, vel ſimilia, proprio quodã ſigno nominis litterae vniuſcuiuſq. turmae mores exprimeret. ſimplicioribus, & innocentioribus iota nomen imponens. difficilioribus autem & tortuoſis. x. competenter accommodans. ita vt pro modo conuerſationis, & propoſiti ſingulas turmas certa elementa continerent, ſolis ſpiritalibus haec ipſa quid ſignificarent, ſcire valentibus. Sed & hoc ferebatur adſcriptum, vt peregrinus monaſterij ſi veniret habens habitum diuerſum, nullus cum eo comederet, excepto eo qui iter agens, id obſeruare non poſſet. Qui vero ſemel ad hoc intraret monaſterium, & ibi iugiter maneret, per tres annos a ſtudijs ſacratioribus arceretur, operaretur tãtum opera ſua ſimpliciter, & ita poſt triennium, ſtadium certaminis introiret. Cum autem comederent, capita ſua cucullis operirent, ne frater fratrem videret manducantem, & vt nullus comedens loqueretur, nec praeter menſam ſuos alibi circumferret aſpectus.

[a] vel, ſalutate.

Necnon

Necnon ab Angelo qui cum Pachomio loquebatur, hoc quoq. constitutum est, vt diurnae orationes. xij. fierent, & vespertinae. xij. & nocturnae. xij. Cumq. Pachomius diceret paucas esse, respondit Angelus, Has constitui, quas possent infirmiores absq. labore perficere. ceterum qui perfecti sunt, hac lege non indigent. Apud se namq. in proprijs constituti cellulis orare non desinunt, qui puritate mentis, & diuina contemplatione pascũtur. cumq. hoc dixisset nuntius caelestis, abscessit.



Stans prior in gradu.
Praepositus domus. 8
Pater monasterij. 29.

Princeps seu pater monasterij.
Praepositus domus.
Secundus a praeposito.

Monasterium habet domos 40.
Domus habet fratres 40.

INCIPIT

PRAEFATIO EADMERI MONACHI IN SERMONEM S. ANSELMI ARCHIEPISCOPI.



Reverendo *Domino & Fratri, & amico suo Guillelmo monacho, mansuetudine, modestia, & honestate vitae multum amando, Frater Eadmerus, monachorum ecclesiae Christi Cantuariensis infimus, quod Deus promisit diligentibus se. Recordatur, vt aestimo Sanctitas tuae dilectionis, honorande frater, quia cum venerabilis pater Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus, nuper in coenobio cluniacensi aliquantis diebus moraretur, & loquens a religioso ipsius loci conuentu pro sua reuerentia deuotissime audiretur, tua prece mecum egisti, quatenus verbum, quod de aeterna beatitudine in capitulo coram positis fratribus fecit, stili officio, tuo conspectui praesentarem. Ego igitur vtpote qui libenti animo volebam pro meo posse tuae voluntati morem gerere, opus ilico adgressus sum, aestimans illud leuioris ad explicandum negotij fore, quam postea senserim. Nouerit ergo carissima mihi dilectio tua, quia tui solius caussa tenuit me, ne coepto desisterem, licet fortassis melius fuisset penitus destitisse. Materia siquidem pulchra & adpetibilis, & cum narratur sermone inculto, & contemptibili, solet*

nonnunquam magis offendere animum audientis, quã demulcere. Quapropter vereor ne hoc ipsum in meo facto alicui contingat, scilicet ne materia decens, indecenti stilo digesta, id apud hominum mentes efficiat, vt quae prius per se sine scripto placebat, ex scripti deinceps foeditate vilescat. Sed certe quod scripsi tua sincera dilectione prouocatus, tibi scripsi, hoc solum intendens, vt ea simpliciter di cerem, quae me in eodem capitulo, per id temporis, vel alibi, ab ore ipsius Patris, de ea dem re accepisse recordari uo lebam.



INCI-



INCIPIT SERMO S. ANSELMI ARCHIEPISCOPI

De aeterna beatitudine, in cluniacensi capitulo ad Conuentum habitus.



VLTI homines, quibus nonnunquam boni mores, & iusta opera proponuntur, & vt se in eis, saeculi vanitate postposita, exerceant, admonentur, inquirere solent, quã ob rem, quo praemio, qua retributione. respondetur itaq. illis, quod scriptum est, Quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quod praeparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Quod cum illi non clare quid sit, aduertere possunt, repetitur hoc ipsum alijs verbis, & dicitur eis, Praemium, quod ijs qui in hac vita Deo seruiunt, in futura vita recompensatur, vita aeterna, beatitudo aeterna, aeterna iucunditas, sufficientia scilicet est omnium commodorum secundum voluntatem, & sine omni indigentia. Haec ergo cum illis hoc modo dicuntur, bona quidem & magna, vt sunt, esse videntur, sed quia non intellegunt, quid in ipsa vita aeterna habituri sint, nec subito quid sit omnium commodorum secundum voluntatem sufficientia, & sine omni indigentia perci-

pere possunt, haerent animo, nec multum efficaci ad audita sapore trahuntur. Quid ergo agendum, vt haec illis aliquatenus sapiant, & sic ad opera bona euigilent. puerorum more cibandos existimo, qui siquando grossum aliquod pomum edendum percipiunt, illud ob dētium teneritudinem, & oris angustiam absumere nequeunt, si pro illorum capacitate primo non fuerit particulatim diuisum. itaq. diuidamus in partes, magna quae diximus, vt inde posʃint ad vitam nutriri, de † quibus agimus. quae vt melius eluceant, cōsideremus, quae in hac vita mens amet humana, & ex his, prout possumus, coniectemus, & ea multo excellentius eos habituros in uita futura, si quidem inter mūdana temptationum pericula constituti, Dominica fuerint praecepta secuti. atq. cum ipsa illic adepti fuerint, plenitudine desiderij sui se nequaquā fraudatos percipient. haec, inquam, faciamus, & a minimis paulatim progrediamur. Ecce vt primo quae ad corpus attinent bona, succincte enumeremus, ista, vt aestimo, sunt quae propter se, & propter quae alia † quaeq. ab hominibus adpetuntur. Pulchritudo, velocitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, diuturnitas vitae. si autem in his aliqua sunt, quae aliquando serui Dei non modo nō adpetunt, sed etiā magnoopere ī hac vita curare subterfugiūt, vt sūt, verbi gratia, pulchritudo corporis, atq. voluptas, vtiq. non idcirco id faciunt, quod ea naturaliter nolint, sed ne Deum in eis quoquo modo offendant. Nam si per ea nil offensionis in Deū contrahi posse certo sentirent, vel se ab amore aeternorum impediri non pertimescerent, profecto iucundius in ipsis, quam in eorum contrarijs sese deducerent.

[Margin: † Forte, qua.]

[Margin: † Forte, quoq.]

His

His ita praelibatis, singula quae proposuimus, breui tractemus, & qualiter illis post corporum nostrorum resurrectionem perfruemur, prout dominus dederit, explicemus. Itaq. pulchritudo bonũ quoddam est, & quod naturaliter a cunctis haberi amatur. In illa igitur vita, pulchritudo iustorum solis pulchritudini, qui septempliciter, quam modo sit, speciosior erit, adaequabitur, quemadmodum diuina scriptura testatur, Fulgebunt, inquiens, iusti, sicut sol in conspectu Dei. Ad haec, corpus dominicum claritati solis praelucere, nescio aliquẽ posse ambigere, & ei similes, attestante Apostolo, erimus, qui dicit, Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae. Ista fatetur auctoritas, cui contradicere, scitur esse nefas. Haec tamen si quis velit sibi ratione probari, credo nulli debere incredibile videri, & iustos pulchritudinẽ solis in illa vita, vbi mortale hoc absorbebitur a vita, sortiri, cum vere dicantur, & sint templum, & sedes Dei. quod nusquam in diuina pagina de sole isto visibili meminimus legi. Velocitas, quae pulchritudine non minus amatur, tanta nos comitabitur, vt ipsis Angelis Dei aeque celeres simus, qui a caelo ad terras, & a terris in caelum, dicto citius dilabũtur. Quae celeritas si, vtrũ sit in Angelis, probari necesse esset, exempli gratia dici forsitan posset, hominem mortali adhuc carne grauatum mox a Iudaea per Angelum in chaldaeã delatum, indeq. tradito prandio, quod deferebat, sine mora relatum. Ergo cum istis omnino par velocitas illis erit, quibus, sicut promissa est, illorum aequalitas inerit. Apostolus etiam qui corpora nostra, quantacumq. locorum intercapedine separata

mēbratim fuerint, siue dispersa, in ictu oculi adserit resurrectura, satis innuit quam uelocitatem eadem corpora iam incorruptibilia sint habitura. corruptibile quippe hoc, sicut ipse testatur, incorruptionem, & mortale induet inmortalitatem. Huius quoque uelocitatis exemplum in radio solis licet intueri, qui statim orto sole in plaga orientali, & pertingit in ultima plagae occidentalis, vt in eo perpendamus, non esse inpossibile, quod de nostra dicimus futura uelocitate, praesertim cum rebus animatis soleat inesse maior velocitas, quam inanimatis. Huic radio solis simile uelocitatis exēplum habemus in nobis. radius quippe oculorum nostrorum in subleuatione palpebrarum caelum usque pertingit, & in ictu earum totus in semet atque integer redit. Amplius constat quidem animas Sanctorum, quae iam caelestia tenent, nondum plena felicitate frui, donec incorruptibilitate corporum suorum potiantur. quam cum adepti fuerint, non erit quid amplius uelint. Haec itaque corpora si eas a sua uelocitate aliquatenus tardiores, aut grauiores efficere deberent, nimirum potius eorum consortium abhorrerent, quam adpeterent. Igitur ea, quam dicimus, uelocitate perfungemur, cum in uera uita fuerimus. Post has nominauimus, fortitudinem, quam plerique perosa inbecillitate plurimum amant. Praestabunt igitur uiribus quicumque supernis meruerint ciuibus adsociari, in tantum, ut nullatenus illis obsistere quidquam ualeat. vel si mouendo, aut euertendo uoluerint quid a suo statu quomodocumque diuertere, non ilico cedat. Nec in eo, quod dicimus maiori conatu laborabunt, quam nos modo in motu oculorum

lorum nostrorum. Ne queso excidat animo, quam adipiscemur, Angelorum similitudo, quatenus si hic, aut in his quae dicturi sumus, aliud exemplum non occurrerit, ipsa occurrat, atque in quibus Angelos ualere constiterit, & nos aeque ualere probet, & adserat. Neminem autem, qui dubitet, existere puto, Angelos ea, qua uolunt fortitudine fungi. Sed fortassis quaeret aliquis, quid nobis tunc illa fortitudo praestet, cum singulis tam conuenienter, ut conuenientius nequeant, ubique dispositis, nil mutandum, nil euertendum, nil statuendum sit, in quo uires suas quiuis exerceat. Qui haec dicit, paucis, nobis, cum quid in huiusmodi habeat usus humanus, attendat, & uidebit, quia non semper omnibus, quae habemus, & quae nos habere non parum gaudemus, actu utimur. sicut uerbi gratia, uisu ipso, potestate aliqua, scientia rerum nonnullarum, & multis in hunc modum. sic & tunc, de qua agitur fortitudine, erit. Sola namque possessio eius, grata nobis erit, & exultatio grandis, licet nequaquam sit nobis in actu cunctis, ut dictum est, in suo statu locatis. Haec eadem quaestio, si aut de uelocitate, aut de aliquo eorum, quae ob propositi operis intentionem dicturi sumus, quemlibet mouet, eam, qua hic soluta est, solutionem, si aptiorem non habuerit, accipere ualet. Hinc secundum quod proposuimus, ordine suo libertas sequitur, quae superioribus non minus diligitur. Quicumque igitur angelorum fuerint similitudinem adsecuti, eorum quoque libertatem necessario adsequentur. Itaque sicut Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos inpedire, uel constringere potest, quin pro uelle suo cuncta li-

berrime penetrent, ita non erit obstaculum ullum, quod nos retardet, non clausura, quae nos detineat, non elementum, quod nobis ad uelle peruium omnino non exstet. Exempli caussa. Certe dominicum corpus, cui corpora nostra configuranda Paulus testatur, ut supra meminimus, clauso sepulchro a mortuis surrexit, ac demum ad discipulos obseratis ianuis palpandum introijt, nobisque in hoc libertatis futurae documentum grande reliquit. Super haec, sanitatem amari ab hominibus diximus. Et de hac quid melius dici poterit, quam quod psalmista canit, Salus, inquiens, iustorum a domino. Quibus autē fuerit a domino uera sanitas, quae subripere ualebit infirmitas. Verum de ista sanitate, quam in futuro saeculo habebimus, quod exemplū adferre queam, ut quae sit, intellegatur, non uideo, quia nil sanitatis, quod ei comparare possim, aut ego in me, aut aliquis sub mortali carne degēs, sensit in se. Hic etenim tunc nobis sani uidemur, cum nihil in nobis, quod doleat, sentimus. fallimur tamen nonnumquam in hoc. Nam frequenter in aliqua parte corporis infirmamur, nec tamen hoc ipsum nisi aut motu corporis, aut tactu aliquo, ullo pacto experimur. At de ijs, qui nec ita infirmantur, sed omni ex parte sibi sani esse uidentur, quid dicemus, ut utrum sint, uel non sint sani probemus. Propone tibi aliquē sanissimum corpore, & de sanitate illius sciscitare, sanus est suo iudicio. hic talis paullo durius tangatur, aut in aliqua sui corporis parte artius constringatur, & statim uidebis, quia clamabit, sine, laedis me, uexas me. Quid est hoc. Nonne prius se esse sanum dicebat. est nunc modice tactus, ita dolen-

dolenter ſucclamat. iſte ne tibi ſanus uidetur. non
puto. Nequaquam ergo ſalus huiuſmodi nobis da
bitur, quorum ſalus a domino futura eſſe ſpecia-
liter repromittitur. Nam abſterget deus omnē la-
crimam ab oculis ſanctorum ſuorum, & iam non
erit amplius neque luctus, neque clamor, neque ul-
lus dolor, quoniam priora tranſierunt. & non
eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper il-
los ſol, neq. ullus aeſtus. dextera enim ſua deus teget
eos, & bracchio ſancto ſuo defendet illos. Quid
itaque eis nocere poterit, quibus dextera dei tegu-
mentum erit. Qualis autem ſit ſanitas illa, certe
ſcio me nec meo, nec alicuius ſenſu, uel experimen
to accepiſſe. Febrium uero, & diuerſarum infirmi-
tatum qualitates ſi cuiuſmodi ſint, quiuis interro-
garet, facile forſan intellegendas exponerem, cum
quia ego illas in me, tum quoniam ab eis accepi,
qui eas, quae ſint, experimento didicerunt in ſe. at
quod nec ſenſu percepi, nec ab vllo qui percepe-
rit, vt dixi, accepi, non eodem modo. Credere ta-
men, & incunctanter, vt mea quidem fert opinio,
adſtruere licet, ſanitatem vitae futurae ita iugem, &
incommutabilem, atq. inuiolabilem fore, vt ineſ-
fabili quadam, atque ſenſibili ſuauitatis dulcedine
totum hominem repleat, & omne, quod alicuius
in ſe viciſſitudinis, mutabilitatis, aut laeſionis ſu-
ſpicionem praetendere queat, procul arceat, atque
repellat. Haec de ſanitate dicta ſint. Hinc eo ordi-
ne, quo ſingula, de quibus inſtituimus tractare, pro
poſuimus, voluptatem ſubiunximus, quam alio no
mine corporeorum ſenſuum delectationem appel
lamus. & haec quidem magnoopere ſolet amari.
Corporis ſenſus in iis, quae ſibi cōmoda iudicant

dele-

delectantur. Delectantur quippe, vt verbi gratia paucis dicatur, odoratus odoribus uariis, & gustus rerum diuersarum saporibus diuersis, † nec ne singuli sensus his, & illis, iuxta quod cuique fert naturalis adpetitus. Istae tamen delectationes non semper delectant, sed suis quoque amatoribus sui nonnumquam taedium ingerunt. transitoriae namque sunt, & bestiales. Illae vero quae in futuro saeculo plene iustis administrabuntur, perpetes sunt, & rationabiles. Quare non video vt qualiter intellegantur, possit edici, praesertim cum in delectationibus uitae praesentis, quo eas designemus exemplo, nequeat inueniri. Delectationibus etenim illis quo magis quisque utetur, eo feruentius illas amplectetur, quia ex earum saturitate nullũ fastidium vlli creatur. Quas delectationes neminem in hac mortalitate uiuentem esse puto, uel fuisse, & qui senserit, vel gustauerit, vt illarum saporem, vel habitudinem ceteris digerere possit. Duas enim beatitudines, & item miserias duas, maiorem videlicet, atque minorem esse nouimus. Maiorem beatitudinem, regnum Dei, minorem dicimus esse, in quo Adam primo positus fuerat, gaudium paradisi. Item maiorem miseriam aeternum ignẽ gehennae, minorem fatemur, quas incessãter patimur aerumnas praesentis vitae. Beatitudinum autem neutram aliquando experti sumus. quod si saltem illam paruam beatitudinem, quam Adam in paradiso positus habuit, experti essemus, forte per hanc, illam maiorem aliquo modo coniectando uidere possemus. sicut nunc in minori miseria nati, nutriti, & adulti, multa de maiori miseria, quotiens volumus, edicere, & explanare valemus.

† Forte, nec non.

valemus. Itaque cum delectatio, qua de agimus, constet esse vna portio magnae beatitudinis, quo illam modo explicemus, vt capiatur, non video. nisi forte id agamus aliqua contraria similitudine magnae miseriae, quam ex minori coniectamus. Sit igitur ante oculos cordis positus, exempli caussa, homo aliquis, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quam & in singulis membris ferrum ignitum, & candens infixum habeat, ita vt nec medullae, nec intestina, nec omnino quidquam in toto ipso cruciatus illius inmanitate uacet, uel eam leuius quam in oculis aliquatenus sentiat. quid dicam. angustiatur. quis hunc existimet sanae mentis inter ista. Eodem modo, sed penitus contraria consideratione, in illa futura vita ineffabilis delectatio quaedam bonos inebriabit, & dulcedine sui totos eos inaestimabili exũdãtia satiabit. Quid dixi, totos oculi, aures, nares, os, manus, pedes guttur, cor, iecur, pulmo, ossa, medullae, exta etiã ipsa, & cuncta singulatim, singulaque membra eorum incommune, tam mirabili delectationis, & dulcedinis sensu complebuntur, vt vere totus homo torrẽte voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur. Qui ergo haec bona fuerit adeptus, non intellego ad quid pro commodo corporis sui vlterius porrigatur adfectus. Solum modo adsit ei, quam cunctos adpetere diximus, diuturnitas vitae. sed ista illi minime deerit, quia iusti in perpetuum viuent, sicut scriptura dicit. Sunt etiam alia, quae quidem ijs, quae digessimus, non minus amantur. sed ad animam, sicut illa ad corpus, referuntur. Quae nihilominus in septenario numero constituta, non modicum placent menti,

menti, quae ipsorum fuerit sapore inbuta. Sunt autem haec, sapientia, amicitia, concordia, potestas, honor, securitas, gaudium. Sapientia igitur, quam omnes & in hac vita non viliter amant, tanta in futura vita bonis erit, vt eorum, quae scire voluerint, nihil sit, quod ignorent. Scient enim cuncta, quae scienda fecit deus, tam ea quae praeterita, quam quae huius saeculi sunt futura. Ibi a singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur, nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis edit⁹ fuerit, uel quid in vita fecerit. Hic fortassis ait aliquis, quid est hoc. peccata quae feci, scient omnes. ad hoc ea confessus sum, vt delerentur, vt obliuiscerentur, vt nulli amplius panderentur. Bene, sed cum tu in illa gloria ab omni criminũ sorde purgatus, vultui dei praesens adstiteris, ingratusne ei esse poteris pro tanta misericordia, quam tibi fecit, remissis illis, & illis delictis tuis. & vnde gratias ages, si nihil eorum, vnde illas iure debeas, in tua memoria habes. Vt igitur in illius laudibus aeternaliter iucunderis, semper de quanta sis miseria erutus, vt puto, coram habebis. Cum ergo singulorũ conscientiae singulis pateat, fateri audeo ea quoque cunctis patere, pro quorum curatione tu deo iugiter gratiosus existes, non ad tuam confusionem, sed ad magnam dei glorificationem, tuamque congratulationem. Nec enim tunc pro peccatis tuis te maior cordis angustia premet, scelerumque tuorum mage pudebit, quam aliquem magnis olim vulneribus saucium, iamque omni ex parte sanatum aboliti languoris molestia premit, vel eorum, quae in via positus infans egerat, nunc grãdaeuum pudet. Tunc quippe cum integra

tegra ſanitas, perfecta munditia, plena remisſio, ſecura omnium offenſionum inpunitas tibi certo arriſerit, cognitio eorum qui magis horrori tibi eſſe valebit, quam eſt modo beatisſimo Apoſtolorũ principi Petro, quia Chriſtum negauit, abiuratio ſua. beato Paulo, qua perſecutus eſt, inmanitas ſua. beatae Mariae magdalenae peccata ſua. & multis alijs multa, quae ſciuntur iam donata, crimina ſua. Verum ſuper hoc agnitis delictis, velut enormi ac foeda infirmitate tua, pietas, virtus, ac ſapientia medici, qui te ſanauit, ſublimius a cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur. Laus autem & magnificentia gloriae dei, tua, ſi bene aduertis, gloria eſt. Sed dices, & quidem conſentio, laudem dei gloriam meam eſſe. Verum cum hinc inde tot, & tot ad comparationem mei innocentes prodeant, qui cõſideratis vitae meae obſcaenitatibus, me omnino, ſicut aequum erit, horrori habẽdum iudicent, quid dicam. Iuſtitia nempe ſuum, & ſuum iniuſtitia praemium exigit. In his frater nolo timeas, aliter erit quam exiſtimas. Illum ſiquidem, quem tu tibi comparatum iudicas penitus innocẽtem, non ibi reperies de te, quemadmodum aeſtimas, ſentientem. Namque videns te ille, quo de agis, plane intelleget te nequaquam ſe, ſed deum, quando peccaſti, offendiſſe. Cum ergo viderit deum tibi ſua debita funditus dimiſiſſe, nec in cor ſibi aſcendet, vt te inde aliquatenus iudicet. In hoc enim ipſo deum, ſe offendere cognoſceret, ſi te deo per omnia reconciliatũ, pro ijs, quae olim feceras, vllatenus contemnendum cogitaret. Magis autem gratioſus admirabitur ineffabilem dei clementiam, non ſolum in te, ſed & in ſe. in te, quia de tam

proſundo

profundo iniquitatis eripuit te.in se, quia sola gratia eius, ne in idem profundum rueres, tenuit. Se laudando igitur magnificabit in te post gratiam dei, vim atque constantiam, quibus enitens voraginem tanti mali viriliter euasisti, quã, iuxta quod ipse considerabit, si derelictus a deo simili modo incurrisset, non ita forsitan euasisset. Vides igitur quam nil improperij vulgata cognitio peccati tui, immo quam multum laudis, & gratiarum cognita remissio sui generabit. Ipsi etiam Angeli si te societate sui propter tua peccata indignum vellent iudicare, habes qualiter contra eos iure te posses defensare. Quo nam, inquis, modo. Audi. Propone angelorum aliquem, quasi talia tibi improperantẽ. Tu homo de puluere factus, tu puluis quandoque futurus contra deũ te extulisti, contra praecepta eius, te in caenũ omnis peccati & inmunditiae tumidus deiecisti, & nunc nostri similis esse quaeris, quos numquã in aliquo voluntati dei contraisse cernis. Ad haec licet ita respondeas. Si ego, vt dicis, de puluuere factus sum, forte non mirum si vẽto temptationis inpulsus, in sordes sum criminum lapsus. verum agnita, & credita misericordia Christi, spretis omnibus, quae illum nolle scire potui, in cunctis, quae illum velle intellegebam, memet exercui. Vnde tribulationes, & angustias, in fame, siti, vigilijs, verberibus, contumelijs, alijsque modis innumeris, ad honorem eius sustinere non dubitaui, & quaeque mundana pro viribus nihili pendens, eius tantum solius gratiae per singula reconciliari desideraui. Vos autem quid horum vmquam sui caussa sustinuistis. semper vos gloria, semper iucũditas est comitata, semper vos tenuit dextera

:era dei, atque defendit ab inpugnatione omnis peccati, ita vt nulla vobis ſubriperet macula eius. itaque ſi a voluntate illius non cecidiſtis, ipſius donum eſt, a quo iugiter tenti eſtis. Sed quia haec ratio illos tantũmodo reſpicit, qui perditioni ſuae vim fecerunt, & regnum caelorum violenter rapuerunt, alij qui in illud ſunt, ſed alio modo intraturi, alia ratione paritatem angelorum ſibi ſunt vindicaturi. Si quaeris, qua. forſitan iſta. Dicent igitur illis, quod in regno dei veſtra quaerimus aequalitate beari, dono, & gratiae Chriſti Ieſu domini noſtri id adſcribimus, qui ad hoc dignatꝰ eſt homo fieri, & pati, & mori, vt nos ab omni delicto in ſanguine ſuo iuſtificatos ipſius regni ſui conſortes efficeret. Vos igitur cōſiderate, an ſanguis Chriſti, qui eſt pro nobis effuſus, queat nobis eſſe perfecta cauſſa ſalutis. Quid ad haec Angeli, qui libenter, eo quod boni ſunt, rationi adquieſcere volunt, dicent, niſi quae dicta ſunt, ratione niti, & huiuſmodi homines iure ſua aequalitate debere potiri. Cum itaque Angeli, atque homines, quos magis te iudicaueras innocentes, tibi conſentiant, tibi in cunctis pro veritate rationis honorem deferant, perpende, ſi vales, quam grata ſit ſapientia iſta, qua tu ab omnibus, ſic † omnes agnoſcentur Forte, a te in vita illa. Nonne conſequenter ex iſta, quae ſicut. cunctis erit communis ſapiētia, & quaedam inaeſtimabilis amicitia procreabitur. quae in tantum ſingulorum intima erga ſingulos ſuo feruore compleat, vt amor cuiuſque in quemque cuique ſufficiat. Nec enim video, quomodo aliter eſſe poſſit, praeſertim cum vnum corpus Chriſti ſint, & Chriſtus, qui eſt ipſa pax, omniũ caput. nec minori ſeſe

adfectu

adfectu complectantur, quam membra vnius corporis sibi inuicē copulantur. Amabis igitur omnes, vt ipsum te, & amaberis ab omnibus, vt ipsi a se. Putas abundans eris in dilectione, quando haec tibi fuerit in possessione. Attamen istam transi, & contemplare ipsum, per quem haec bona tibi prouenere, & percipies, quia ille plus quam tu te ipsum, & quam omnes alij, incomparabiliter amabit te, & tu super te ipsum, & super omnes alios ineffabili quadam suauitate illum amabis. Sed quoniam solet aliquando contingere inter homines, vt ij, qui sese altrinsecus vnanimiter amant, non in omnibus vbique concordent, dum huic secus atq. illi videtur, & quod hic adpetit, ille fugit, necessario addenda praescripto amori concordia est. ne si vllatenus, vel in puncto defuerit, aliqua laesio tāto bono subrepere possit. Erit itaque tanta in cunctis concordia, vt in nullo sentias aliquem discrepare ab eo, quod te constiterit velle. Corpus vnum erimus, Ecclesia vna erimus, sponsa Christi erimus, quicumque ibi erimus. Non ergo maior tunc inter nos discordia erit, quam nunc est inter membra vnius corporis. Verum sicut vides in motu oculorum, quod illuc, quo vnus vertitur, mox alius sequitur, ita quocumque tuum velle conuerteris, velle omnium sine disceptatione ilico tibi praesto habebis. Quid dixi omnium. ipsa dei voluntas non erit a tua diuersa, sed sicut tu quod ille, ita ille volet, & in cūctis, quod tu. Caput namque a suo corpore qui discreparet. Hic aliquis forsan in sui cordis secreto quaerit dicens, Eia, si deus, & omnis ille beatorum coetus volent, quod ego, tunc & augmentum mei boni mecum volet, quod

ego

ego ibi non velle non potero, ero itaque pro velle meo, de maioribus in caelo. Huic respondeo, quia si etiã beato Petro par in gloria esse voluerit, erit, in gloria dico, quia vt Petrus sit in persona, velle non poterit. Namque si hoc vellet, se ipsum nihil esse vellet, quod velle nequit. Sed neque in gloria illi aequari, si meritis eius impar est, velle poterit, quia pulcherrimam illius corporis compositionẽ, quam in hoc violari conspiceret, omni commodo plus amabit. Nec enim in humano corpore vel pes, loco, aut officio manus, vel manus pedis fungi optat, aut os, siue nasus, vbi oculi sunt, aut oculi vbi os, seu nasus est, relictis sedibus suis, transferri desiderant, aut si transferrentur, patienter id paterentur. eodem modo in illa admirabili & glorificata dispositione beatae ciuitatis dei, ita quisq. quod habet, amabit, vt statum suum potiori gradu mutari non velit. Quare. quia cuique satis erit sua felicitas, & beatitudo. Amplius, si hi, qui iam in ipsius corporis vnitate locati sunt, & maiora quam sunt adepti, desiderant, eo ipso miseri essent, quod non dum haberẽt, quod vellent, in quo enim alicui, quod cupit, deest, in eo miser sit necesse est. Sed absit ab illo regno omnis miseria. aderit itaque omnibus omnis sufficientia, quam perficiet in singulis vnanimis, & plena concordia. Cum itaque deum, & omnes tuae voluntati concordes habueris, profecto nihil voles, quod non possis. Omnipotens igitur erit tua voluntas, quoniam ipsum omnipotentem habebis in omnibus concordantem tuae voluntati. Itaque cum haec tanta potestas tibi adfuerit, honor cõdecens potestati minime deerit. Qui honor cuiusmodi sit, breui sub

D exemplo

exemplo consideremus. Ecce sit ante oculos nostros positus pauper aliquis, omni solacio destitutus, vlcerum, & aliarum infirmitatū foeditate corruptus, & omni, quo vel a frigoris incommoditate defendatur, tegmine nudus. Hunc igitur talem tali modo iacentem, & in nullo semet iuuare valentem, si rex aliquis potentissimus transiens videret, & miseratus eius vulneribus mederi, curatumque suis iuberet ornamentis vestiri, & adductum sibi adoptaret in filium, praeciperetque, ut in regno suo, suus filius a cunctis haberetur, atque in nullo, quod iuberet, a quoquam ei contradiceretur, heredemque suum, ac filij sui coheredem constitueret, & eum suo nomine vocari praeciperet, nonne diceres magnifice honoratum. Et certe deus nobis haec oīa faciet. Nati enim de putredine carnis replemur multis miserijs, in quibus miserijs constitutos, & omni solacio destitutos, omniumque infirmitatum passionibus obnoxios, ac peccatorum, & corruptibilitatis vlceribus plenos, sola misericordia ductus accipiet, & curabit nos, & sanitati restitutos ornamentis perfectae iustitiae, & incorruptibilitatis ornabit, adductosque in filios sibi adoptabit, regni sui consortes efficiet & heredes, filioque suo vnigenito sibi per omnia aequali, & coomnipotenti concorporales statuet, & coheredes. omni creaturae iubebit, vt in omnī quod volumus, nobis oboediat, vocatosque nos nomine suo deos faciet. Dicit enim ipse, Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Sed ipse deus deificās est, tu vero deus eris deificatus. At fortassis ais, haec ratio tua in illis quidem magnis Apostolis, seu martyribus poterit existere rata, in me autem qui

qui vtinam vel vltimus esse merear, quonam pacto constare queat, non intellego. Intende & intellege, quia nullum iustorum ab ista deitate excepit deus, vbi dixit, Dij estis, & filij excelsi omnes. Verùm vt dicta melius eluceant, considera sub exemplo naturam ignis, & naturam rerum ignitarum, si forte ibi aliquatenus queas imaginari, qualiter illi summae deitati pro modulo tuo possis participando deificari. Ecce ignis vnus est, & in sua naturà calidus, in hunc ignem pone lignum aliquod, plumbum, & ferrum simul. itaque cum lignum fuerit in carbones conuersum, & plumbum liquefactũ, ita vt in carbonibus nil nisi ignis appareat, & plumbo nil caloris addi queat, nec dum tamen ferro poterunt in calore coaequari, quod nõ dum forsan penitus incanduit igni. Licet igitur aliud alio magis in calore profecerit, singulum tamen seruata natura sui, vsitato locutionis modo, quia ignitum est, per se dicitur ignis. Sic erit in illa beata supernorum ciuium societate, de qua loquimur. Nam quemadmodum ij, qui summae dei maiestati sunt propinquiores, & ob hoc alijs praestantiores, dij dicentur, ita & qui illis sunt inferiores, quoniam vna & eadem, qua ipsi, deitate pro sua capacitate participant, simili nomine dij dicentur. Quando ergo cum tãto bono adeptus fueris hunc honorem, non video qua ratione possis cupere ampliorem. Igitur dum possessione horum bonorum, quae digessimus, felix fueris, nonne sufficiens tibi videberis. Et maxime, inquis. Age igitur, si omnibus istis vel vna die, sicut exposita sunt, in re frui valeres, gauderes sine dubio. si autem mense, vel anno vno laetificareris, nec dici quidem, vt autu-

mo, poteſt laetitiae modus. & ſi toto tempore vitae tuae, quid faceres. dares praemium. vtique libens quidquid haberes, & inſuper temetipſum, ſi ſic, & nō aliter ea adipiſci valeres. Si vero ad haec omnino ſecurus exiſteres, quod ea dum viueres, nullo euentu amitteres, omitto dicere, vtrum vel cogitare poſſis † an nō, quid exultationis tibi eſſet. itaque cum in tua vita perpetuo in illa tuta & haec omnia tibi habenti, ſecuritas quoque ea amplius nō perdendi certo arriſerit, obſecro, quid aeſtimas tibi erit. Credo quod etiam ad nomen ſecuritatis mota eſt in te quaedam iubilatio cordis, et an tanta bona ſecure ſis perpetuo poſſeſſurus, auidus addiſcere cupis. Dico igitur quia ſi ea perditurus es, aut tu ipſe voles ea perdere tua ſponte, aut deus ea auferet tibi nolenti, aut aliquis alius deo fortior ſuperueniens ea tollet, & deo, & te non volente. Sed certe nec tu abiecto tanto bono in miſerias, quas tu euaſiſſe gratioſus exultabis, recidere voles, nec deus, qui illud tam larga, & clementi bonitate donauit, id tibi aliquando auferre volet, nec vllus fortior deo ſuperueniet, qui, deo te protegente, illud tibi inuito aliquatenus tollet. Securus igitur tantorum bonorum perpetuo eris, nec alicuius tibi aduerſari volentis incurſum timebis. Quid ergo putas tibi erit, cum haec omnia, pulchritudinē videlicet, velocitatem, fortitudinem, libertatem, ſanitatem, voluptatem, diuturnitatem vitae, ſapientiam, amicitiam, concordiam, poteſtatem, honorem, ſecuritatem, ſecundum quod ea deſcripſimus, immo ſupra omnem humanam aeſtimationem, glorioſius atque ſublimius, quam ſcribi, vel dici poſſint, in poſſeſſione aeternaliter habuetis

Forte legendum, animo.

Forte legendum. Itaq. cum perpetuo in illa vita haec omnia tibi habenti ſecuritas quoque ea amplius non perdendi &c.

tis. Nonne gaudium, quod erit consummatio omnium horum. Re etenim vera, videre non possum quomodo inaestimabile gaudium circumquaque non habeat, quem tot commoda beatae felicitatis, felicisque beatitudinis sine fine circumdant. Tunc igitur et tu isto gaudio perfrueris, quia nihil vnde gaudere non debeas, habebis. Itaque si haberes aliquem, quem vt te ipsum penitus amares, & de cuius bono, sicut de tuo omnino penitus gauderes, illumque non minori quam te felicitate per omnia fultum videres, nonne in gaudio eius gaudium duplicatum haberes. Si vero duos, aut tres, siue plures huic tibi in amore pares possideres, & eos aequa felicitate conspicuos cerneres, numquid pro eorum numero nõ in te multiplicaretur gaudij tui magnitudo. Et vtique cum de amicitia superius ageremus, ostendimus ita omnes illius patriae ciues amaturos te, sicut amabũt se, & te illos, sicut tu te ipsum. Poteſtne igitur illius gaudij modus a quoquam homine penetrari, cum vltra mille millia, & deciés millies centena millia innumerabiles ibi sint, & omnes eadem beatitudine perfruantur, nec vllus eorum sit, qui non tantum de bono alterius gaudeat, quantum de suo. Praeterea videntes deum ipsum, supra quam ipsi sese amabunt, ipsos amantem, & intellegentes se inenarrabiliter plusquam semet ipsos illum amantes, in gloria eius, mira, & ineffabili exultatione exultabunt. Gaudium ergo erit eis intus, & extra, gaudiũ sursum, atque deorsum, gaudium in circuitu, & vbique. & hoc est, sicut putamus, quod, quemadmodum in capite huius opusculi dixi, deus praeparauit diligentibus se. Haec itaque, iuxta quod interim

interim

terim mihi mea aestimatio dicit, quodámodo pōt dici illa beatitudo aeterna, felicitas aeterna cōmodorū.s. omnium sufficientia secundum voluntatē, & sine omni indigentia, quam plene habebunt omnes amici dei in vita aeterna. Nec enim volumus adfirmare illam hac, quam digessimus, multo maiorem non esse. Cum igitur iusti fuerint tanta felicitate beati, restat, vt iniusti per contrarium sint inaestimabili quadam infelicitate miseri. Sicut enim istos, iuxta quod, prout potuimus, deo donante descripsimus, mira pulchritudo, velocitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas alacres faciet, & iubilantes, ita illos inmanis quaedam & inaestimabilis foeditas, tarditas, inbecillitas, seruitus, languor atque dolor maerētes reddet, & eiulantes. Sane diuturnitatem vitae, quam isti pro fruendis tantis bonis, summo amore complectentur, illi pro interminabili poena, qua torquebuntur, quoniam illis inerit, summo odio execrabuntur. De sapientia vero quid dicam, non inuenio, nisi quia sicut iustis in gaudium, & honorē, ita iniustis quidquid scient, vertetur in maerorem, & cōfusionem. Amicitia vero, qua inuicem pij summa iucunditate copulabuntur, si qua impijs erit, in tormentum eis erit. Quo enim magis quosque amabunt, eo magis grauius in illorum poena dolebunt. Si contra concordiam quid habituri sint, quaeritur, discordiam habebunt cum omni creatura, & omnis creatura discordabit ab illis. Hinc ergo pro potestate bonorum, tanta inpotentia eos sequetur, vt omnino nihil eorum, quae voluerint, possint, & quidquid habuerint, nolint. Igitur pro honore Sanctorum obtinebunt perenne opprobrium. & haec

quo

quo fine claudentur. Vere ſicut amici dei ſecuri erunt, ſe numquam amiſſuros bona ſua, ita iſti inimici dei omnino deſperabunt ſe iam amplius perdituros haec mala ſua. Pro aeterno igitur et ineffabili gaudio beatorum hereditabunt aeternam, & incogitabilem triſtitiam omnes, qui pro inpaenitudine reatus ſui, tranſituri ſunt in ſocietatem daemoniorum.

Cap. 24. Qui pulmentaria] in alia. Illis vero qui praeparant pulmentaria non liceat ex ipsis cibis quidquam gustare priusquam alij fratres.
Cap. 29. Tunc mutabunt] in al. Spolietur pannis suis, et detur sibi habitus monachalis
Cap. 38. Parentes nihil loquantur] in al. Qn̄ frēs in aliquo exercitio se exercent, taciti sint.
Cap. 44. Propter ordinē disciplinae] in al. contra ordinem disciplinae
Cap. 49. Nec propriū sibi quod] in al. neq. habeat aliquid proprium.
Cap. 51. Neq. exeundi in monasteria] in al. neq. exeundi de monasterio, seu de clausum eius.
Cap. 63. super nudum dorsum] in al. Nemo sedeat cum altero sup dorsū asini.
Cap. 65. Comedatū aliquid] in al. Nemo recipiat aliquod depositum.
Cap. 69. Soluit nauigium] fratres nullo modo remigent, neq. trahant anzam
Cap. 76. Lotum in domo nemo faciat] in al. Nemo faciat aliquā rē nouā praeter consuetudinem absq. licentia superioris.
Ibid. Demissis manib.] in al. demissis manib.
Cap. 98. increpatione pessima] in al. durissima increpatione.
Cap. 99. Praecepta et leges] in al. Qn̄ acciderit aliquod exercitiū in monasterio, administretur cum tali moderatione et discretione, quód etiam debiles ad tale exercitiū prouocentur, et potius exerceantur cum gaudio, quā cum taedio. / Quare videatur capitulum 107 Summae dilectionis: cum hoc olim cohaerens se
Ibid. Inuicem se de humilitate curantes] in al. qui stando, sedendo, seu ambulando inter ipsos indeficiens seruetur humilitas.

S. Benedictus in regula cap. 58. Postea autem sit in cella nouitiorum, ubi meditetur et manducet et dormiat.
Smaragd. Nouitiorum cella dr̄ nō hospitū sed pulsantiū. et ī. Anni cursus impletur nouitio a tempore quo pulsans venit ad monasterium.





A veniam lector aequissime tot vel erroribus, vel dubitationibus nostris. Etenim librorum copia deficiebamur. atq. in Pachomij regula siue praeceptis illis excudendis vnũ tantum, quod habuimus, exemplum parum accurate scriptum fuit. Quare coniectura saepe, ut uides, pro libris usi sumus. Quaedam autem quia uel ecclesiastico, uel Syriaco more dicta uidebantur, cuiusmodi est illud extremum, Confractio uirgae gloriosae de Esaia, pro, Esaiae, temere mutare noluimus. Vt enim in conuertendis Biblijs Beatus Hieronymus interpres Hebraismos saepe retinuit, sic hic fortasse Syriaismos idem conseruarit. Quo uero loco in principio, Sexta sabbati, legis, uel sexta et sabbato, scribendum fuit, uel quare sic dixerit, prorsus ignoramus. Tu uero fruere, ut potes, & quod praestare potuimus, in partem accipias bonam; rogamus. Vale.

Si ~~[illegible]~~ Hieronymi volumina, et aliorum patrum euoluisset Statius, id nō ignorasset.
Locū Hier. supra [illegible] vindicauimus.
Vide etiā Cass lib. 3. c 9. et lib. 4, c. 19.